

Matthaeus Volland Thomas Balthasar

Collegii Logici Disputatio III. De Terminis Logicis Et Antepredicamentis

Rostochii: Kilius, 1642


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729607313>

Druck Freier  Zugang



R u. phil 1642

Voland, Matthias,
Collegii logici disputatio
2-11



כ"ט ה'תק"ב

COLLEGII LOGICI

Disputatio III.

DE

TERMINIS LOGI-
CIS ET ANTEPRÆDI-
CAMENTIS,

Quam

PERMISSU

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
In Alma Rosarum

SUB PRÆSIDIO

M. MATTHÆI VOLAND,

Mœno-Francofurtani S. S. Theol.

Studioſi,

*Præstantissimis & literatissimis suis Dominis
Collegis venilandam proponit*

THOMAS BALTHASAR,

Lubecensis.

Ad diem 18. Februarij Anno 1642.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLII.

COLLEGIUM
LITURGICUM III

TERMINUS
SIS ET ANTERIUS
CAVENSIS

Augustinus Philosophus
In die...

M. MATTHEI VOLAND
Magno-Franciscanus S. Theol.
Ordinis

Præfatus...

THOMAS BALTHASAR

ROBERTUS
FRANCISCO...



Collegij Logici
DISPUTATIO III.

De

TERMINIS LOGICIS ET ANTEPRÆDICAMENTIS

Thesis I.



Um magna terminorum Logicorum necessitas & utilitas fiet, nec minorem etiam Antepredicamentorum cognitio afferat utilitatem, non absq; ratione & jure peculiarem hac de re conscribere placuit dissertariunculam.

II. Hanc doctrinam de terminis Logicis in genere consideratam multi omittunt: Sed nos eandem urgemus idq; meritò cum alijs bonis Logicis facimus, qui dubio procul etiam generalem terminorum Logicorum considerationem instituunt, 1. propter generalem Logici objecti, quod terminus, & notio Logica est, expositionem, 2. distinctam Logicæ tractationem, 3. Ordinis Synthetici dispositionem qui à generalibus & simplicibus procedit ad specialia & composita.

III. Notandem verò est, hanc considerationem de terminis hic institutam 1. non esse Grammaticam. Nam modus & finis tractandi sunt planè diversa à Grammaticis: In Grammatica enim organon purè dicendi, in Logica organon bene ratiocinandi traditur. In Grammatica finis est pura dictio, in Logica judiciofa ratiocinatio.

IV. Nec 2. esse Realem & Metaphysicam: Supra enim à nobis dictum est, Logicam & Metaphysicam non esse confundendam. Logica enim tractat terminos notionaliter, Metaphysica autem realiter. Est itaq; doctrina hæc terminorum Logica, prout pertinet ad modum considerandi Logicum, adeoq; inservit propositio- nibus & Syllogismis formandis.

V. Vox termini multa habet significata, & homonymia ejus

A

multi-

multiplex est. Sumitur enim terminus vel *Philologicè vel Philosophice*. Philologicè sumtum relinquimus suo loco.

VI. Vox hæc *Terminus* Philosophicè accepta varias itidem possidet significationes. Sic enim notat 1. qualemcunq; notionem, sive prima sive secunda sit. 2. Specialiter notionem secundam. Sic vocabula technica in disciplinis instrumentalibus usurpata, appellantur termini, ut sunt nominativus, genus, species, hexameter, Pentameter, figura, tropus, &c. 3. Specialius terminidicantur extrema rei in compositione aut resolutione. Sic puncta sunt termini lineæ, superficies est terminus corporis. Ita etiam propositio Logica habet terminos, Subjectum videlicet & Prædicatum, in quos resolvitur. Sic etiam Syllogismus habet tres terminos in quos resolvi debet & potest, Majorem, Minorem & Medium. Hæc significatio Logicis est valde familiaris. 4. Interdum terminus vocatur forma rei vid. *Zabarel. lib. 2. de nat. prin. cap. 9. 5.* Terminus quandoq; notat *notionem Logicam primæ mentis operationis Logicæ* materiam ad ulteriorem operationem Logicam disponentem. Et sic habemus Terminos Prædicabiles, Antepredicamentales, Postpredicamentales, ut & hosce quos hic generaliter consideramus, qui omnes sunt termini simplices, & ansam præbent faciendi propositiones sive sint affirmativæ sive negativæ: Et sic etiam hæc significatio est hujus loci & apud alios Logicos usitatissima.

VII. Hæc de *Homonymia* dicta sunt. Sequitur Etymologia. Vox hæc *Terminus* nullam derivationem Logicam, cum vox sit abstracta, agnoscit. Sed tamen Grammaticè deducitur vel à *terminando*: id est limitando, definiendo, circumscribendo, cum terminus aliquid definiat & determinet, vel à *terendo*, uti alij volunt.

VIII. *Synonymia* termini est, qua terminus dicitur notio, noëma, (quidam tamen hæc soleut distinguere hic tamen pro *vulgari* ratione pro iisdem accipiuntur) vocatur etiam intentio Logica. (Quidam etiam hic intentionem & notionem pro distinctis acceptionibus habent, sed contra ipsum usum Scholasticum) Vocatur etiam vocabulum secundæ intentionis, ens rationis Logicum, secundum cogitatum, Platoni dicitur *λογος τεχνικός*, Aristoteli *λογος κειθ' ἐπισημῶν*, Tertulliano verbum legitimum.

IX. Ha-

IX. Haecenus nominaliter consideravimus ipsum terminum, nunc realiter considerabimus in sue definitione & divisione.

X. Terminus est in quem resolvitur propositio, ut prædicatum, & de quo id prædicatur, uti definit Aristoteles lib. I. Priorum Anal. c. I. ὅθεν καὶ λέγεται, εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις

XI. Ut hæc definitio clarius intelligatur, notandum est, hoc loco sermonem esse de termino signante, formali, notionali, ex quo ut parte propositio componi potest: non materiali, signato, objectivo, reali, de quo ut significato propositio verificatur. Termini enim Logici, qua tales, sunt notiones secundæ, & à ratione notionaliter operante fiunt, & res ipsas & notiones intellectus dirigunt & ut dirigant notionaliter, inventæ sunt & adhibentur; sermo est hic loci de termino, qui potest terminare significationem, non qui actu terminat, ut Subjectum & Prædicatum, Nomen & verbum: Ille enim est proponendus in prima mentis operatione, hic vero in secundâ mentis operatione.

XII. Est ergo tractatio hoc in loco de terminis instituenda, non prout sunt notiones primæ, sed prout sunt notiones secundæ seu instrumenta Logica, quæ dirigi possunt ad investigationem veritatis, quæ materiam ad propositionum formationem componendo & resolvendo suppeditant. Quæ suppeditatio est 1. in *Compositione*, quæ ex terminis Logicis potest componi propositio. Compositio hæc in prima parte Logicis est potentialis vel aptitudinalis, in parte autem secunda est actualis. 2. in *Qualicumq; Determinatione*, sic omnes particule subjecta vel prædicata propositionum determinantes, ut Johannes est homo albus, etiam dicuntur termini Logici. Hic igitur fit abstractio à termino Categorematico vel Syncategorematico 3. In proxima Propositionis Conformatione; quia terminus est, ex quo ceu ex proxima materia propositio fabricatur, nam remotè etiam ex literis & syllabis constare potest. 4. In *Qualicumq; significatione*. Nam terminus Logicus debet habere aliquam significationem, sive directam, quando vox aliud quid à se ipsa significat, ut homo est animal, sive reflexam, cum vox semet ipsam significat, ut Blittri est bisyllabum. Terminus igitur Logicus debet habere suppositionem vel formalem vel materialem 5. In *Logica conformatio-*

ut: Terminus Logicus disponit Logicè, idest ut ad bonam ratiocinationem hoc est veram rationalem operationem tandem fiat applicatio: Hinc *terminus Logicus* distinguitur ab Oratorio, qui ad copiosè, *Rhetorico*, qui ad ornate, *Grammatico* qui ad purè & propriè *Poëtico* qui ad ligatè dicendum disponit.

XIII. Posset igitur alia quadam perspicua definitione, præter supra ex Aristotele datam definiri ipse terminus hoc modo: *Terminus est instrumentum Logicum apprehensionem simplicem mentis dirigens, & materiam ad propositionem futuram componendo ac resolvendo, suppeditans.* Quæ definitio satis intelligitur ex iis, quæ thesi II, & 12. dicta sunt.

XIV. Hactenus de Definitione termini, sequitur ejusdem divisio.

XV. Divisio termini Logici varia & multiplex est, 1. Est vel *Syncategorematicus*, vel *Categorematicus* vel *Mixtus*.

XVI. Terminus Syncategorematicus est vox, quæ per se nihil significat, alijs tamen juncta, illis certum significandi modum tribuit. Ut sunt omnia signata Universalia, quam particularia, tam affirmativa quam negativa. Vel *terminus Syncategorematicus* est qui in propositione non potest esse primarium subjectum aut prædicatum, sed est saltem ipsius primarij subjecti vel prædicati qualis cunq; Determinatio.

XVII. Terminus Categorematicus est vox quæ per se aliquid significat, etiam si non jungatur cum alio, ut Homo, Deus, justus &c. Vel *terminus Categorematicus* est, qui in propositione primum subjectum aut prædicatum esse potest.

XVIII. *Terminus Mixtus* est qui Categorema & Syncategorema inclusum habet, ut, nemo, idest *nullus homo*, *nihil* idest nulla res.

XIX. Notetur 1. tamen Syncategoremata propriè loquendo non esse terminos, quia per se non possunt esse extrema alicujus propositionis, sed subjecto & prædicato saltè adjunguntur, & ita per se non significant aliquid, sed consignificant. 2. Notetur posse aliquem terminum diverso tamen respectu esse Syncategorematicum & Categorematicum, ut omnis homo est docilis. Hic $\tau\delta$ omne est Syncategorema; verum cum dico: $\tau\delta$ omne est pronomem, in hac propositione est Categorema. Sic cum dico: *Homo est doctus*. Hic $\tau\delta$ doctus

us est Categorema. in hac vero propositione, cum dico: *Petrus est homo doctus*; *τὸ* doctus est Syncategorematicus, alio verò Categorematicus, uti satis superq; ex exemplis in medium allatis constat.

XX. si Terminus est vel concretus vel Abstractus. *Terminus Concretus est qui habet compositum significandi modum, adeoq; denotat aliquid cum alio* conjunctum. Vel. *Terminus Concretus* est, qui formam & subjectum denotat; ut album, doctum, pulchrum. Dicitur ergò hic terminus Concretus, quia plura significata in eo quasi concrefcunt. Notat enim formam cum suo subjecto, in quo esse perhibent, & ita hic datur concretio duorum significatorum, subjecti sc. & formæ.

XXI. Terminus Concretus interdum exprimitur voce *Substantivâ*, ut Deus, homo, Pater, filius &c. interdum voce *adjectivâ* ut. *Albus, ruber, niger, doctus &c.*

XXII. Distinguendum autem est inter Concreta accidentalia, & inter ea, quæ sunt secundum nostrum concipiendi modum. In Concretis Accidentalibus duo realiter distincta ununtur, & concrefcunt, ut Philosophus notat duo realiter distincta, Philosophiam ipsam, & subjectum, hominem, sc. cui illa Philosophia inest, & ita hic datur distinctio realis, utpote quæ est inter accidens & subjectum ejus.. In Concretis verò secundum nostrum concipiendi modum non datur hujusmodi concretio accidentalis, adeoq; nec distinctio realis dari potest; sic quando Deus dicitur bonus, sapiens, Potens, &c. non hic aliqua compositio realis ipsi Deo affingitur, quæ procul ab ipso removenda est; sed id fit secundum nostrum concipiendi modum Plura de his alibi.

XXIII. Terminus abstractus est, qui notat formam sine connotatione subjecti sui, adeoq; simplicem significandi modum habet, ut *justitia*.

XXIV. Notetur hic quid sit & vocetur subjectum, quid forma. Subjectum hic vocatur omne illud quod ab aliquo denominationem seu appellationem suscipit, ut *homo*, respectu doctrinæ, Forma vero vocatur hic omne illud quod alteri tribuit appellationem, ut *doctrina* respectu hominis.

XXV. III Terminus est vel Absolutus vel Connotativus. *Terminus absolutus* est, qui significat rem perse sumptum citra adjacenciam, ut *animalitas, humanitas, homo, animal*. *Differt terminus absolutus* 1. *ab abstracto*, quia omnis abstractus est absolutus, ut *animalitas*, sed non vice versâ, sic *homo* est terminus absolutus, sed non abstractus, 2. *â substantivo*, quia multa substantiva sunt connotativa, non absoluta, ut *Pater, Filius, Dominus, servus*.

XXVI. *Terminus Connotativus* est, qui significat aliquid per modum adjacentis suo subjecto, ut subjecto, ut *albus, coloratus, vestitus, galeatus*. Notetur in definitione dici, significare aliquid per modum adjacentis suo subjecto, ut subjecto: Intellige illud quod adjacere dicitur de subjecto inhaesionis, adhaesionis, &c. Nam si aliquid adjacet, ut accidens suo subjecto, non est connotativum quid sed absolutum. Sic humanitas adjacens quidem Petri est, verum humanitas ipsi Petro non adjacet ut accidens, sed ut quid constituens Petri essentiam. Ideoq; terminus absolutus ipsa *humanitas*, licet dicatur adjacere Petro. Sic modus adjacet determinato, ut bonitas bono, personalitas personato, substantia subsistenti, nec tamen hæc sunt connotativa, sed absoluta. Sic forma adjacet suo formato, ut leonitas leoni, nec tamen connotativum quid est forma, sed absolutum.

XXVII. *Terminus Connotativus* habet duplex significatum. *Materiale*, & *Formale*. *Materiale* est ipsum subjectum, formæ nomine connotativo expressæ, *Formale* vero est forma nomine connotativo expressa. *Materiale* & *Formale* non exprimentur uno eodemq; modo. Significatur enim *Materiale* in casu recto, *Formale* vero in obliquo. Sic *album* explicatur hoc modo. *Album* est res habens albedinem.

XXVIII. Notant etiam hîc quid sit connotare, quid sit connotatum. Sed de hisce vide alios Logicos.

XXIX. IV Terminus est vel simplex vel Complexus. *Terminus simplex* est, qui unicam habet significationem, & notat unam rem simplicem: Sive id fiat voce unâ ut equus: sive pluribus, ut Redemptor generis humani id est Christus. *Terminus Complexus* est, qui ex pluribus rebus compositus est, & plures res & significata involvit, sive id iterum fiat voce unâ, sive fiat voce pluribus.

XXX. V. Ter-

XXX. V. Terminus est vel Dissentaneus, vel Consentaneus. Terminus dissentaneus est, qui ita dissentit, ut debeat negativè efferi, Terminus vero Consentaneus est, qui ita consentit, ut possit affirmativè efferi.

XXXI. VI. Terminus est vel Adequatus, vel Inadequatus. Terminus adequatus est, qui æquè latè pater cum alio termino, adeoq; est Convertibilis. Terminus autem Inadequatus est, qui non æquè latè patet cum suo subjecto, adeoq; convertibilis non est.

XXXII. VII. Terminus est vel Denominativus, vel Denominans, vel Denominatus. Terminus denominativus est concretum & connotativum, ut doctus, calidus. Hinc fiunt prædicationes denominativæ: Homo est doctus, aer est calidus.

XXXIII. Terminus denominativus est vel externus vel internus, & ita denominat vel externè vel internè. Internè cum forma denominans est in ipso subjecto; ut lac est album; Cygnus est albus. Externè, cum forma denominans non est in subjecto cui tribuitur, sed in alio, ut cum dicitur, Paries videtur; Hic visio forma denominans non est in pariete, sed in oculo.

XXXIV. Terminus denominans est forma, per quam fit denominationatio, ut doctrina, calor. Nam à doctrina homo suscipit denominationem & appellationem docti: itemq; propter calorem aer dicitur calidus.

XXXV. Terminus Denominatus est subjectum, quod suscipit denominationem & appellationem, ut homo qui vocatur doctus: aer qui dicitur calidus. Vocatur alias hic terminus absolute Denominatum. Aristoteles in Careg. C. 3. Denominativa ita definit. Denominativa sunt, quæ ab aliquo nominis appellationem habent solo differentia casu.

XXXVI. VIII. Terminus est vel finitus vel infinitus. Terminus finitus, qui rem certam & determinatam notat, ut homo, leo. Terminus vero Infinitus est qui rem incertam & indeterminatam significat, vel cui immediatè præfigitur particula negativa, ut non homo, non leo.

XXXVII. IX Terminus est vel Positivus vel negativus. Terminus Positivus est, qui rem positivam, Deus, homo: Terminus Negativus verò est, qui rem negativam dicit. Hic autem vel merè negativus
qui

qui absolute negat, ut non *Ens*, nihil. Vel *Privativus* qui negat aliquid, sed in subjecto capaci & debito, ut *claudicatio*, surditates, cæcitas.

XXXVIII. X. *Terminus* est vel superior vel inferior. *Terminus superior* est, qui superiorem locum obtinet in linea prædicamentali. *Terminus autem inferior* est, qui inferiorem locum obtinet in linea prædicamentali. Sic *animal* in linea prædicamentali est superior terminus quam *homo*. XI. *Terminus* est vel latior vel strictior. *Terminus latior* est, qui de pluribus dicitur; *strictior*, verò qui non ita de pluribus dicitur. Sic *animal* est terminus latior, homo terminus strictior. XII. *Terminus est vel Prædicabilis* qui aptitudinem habet Prædicandi, vel *Subjicibilis*, qui ex significato suo subjici in enunciatione aptus est. XIII. *Terminus est vel Collectivus vel Distributivus*. *Collectivus*, qui collectionem rerum significat, & in inferiora sua distribui nequit, ut *Exercitus*. *Distributivus* est, qui in inferiora distribui potest, ut *animal* potest distribui in leonem, equum, canem; XIV. *Terminus est vel communis vel singularis*. *Terminus communis* est, qui notat rem in inferiora distribuendam, ut homo, Animal. *Singularis* qui in inferiora distribui nequit ut *Paulus*, *Johannes*, hic *Leo*. XV. *Terminus est vel Prædicamentalis*, qui rem in prædicamentis collocatam notat. ut *arbor*, color, linea, Calefactio, Paternitas. Vel *extra Prædicamentalis* qui rem prædicamentis haud subjicibilem notat ut *Deus*, unum, verum, bonum. Metaphora, synechdoche &c. XVI. *Terminus est vel primæ notionis*, qui notat rem habentem esse suam extra intellectum. ut *homo*, *Leo*, *equus*, vel *secundæ notionis*, qui notat rem habentem esse suam per intellectum. ut *Abstractum*, *Concretum*, *Genus*, *species*, *differentia*, *Metaphora*, *tropus*, *figura*, *casus*, *declinatio*, &c.

XXXIX. Quid sit terminus *equivocus*, quid univocus, quid analogus, itemq; quid sit terminus synonymicus, quid Paronymicus: Id docebitur in doctrina Antepædicamentali, ad quam explicandam nunc me rectè consero

DE ANTEPRÆDICAMENTIS.

XL. Antepædicamenta tradunt terminos, qui affirmativè de alys enunciari possunt.

XLI. In Antepædicamentis notanda veniunt cum primis hæc tria; Quid sint Homonyma, quid 2. Synonyma, quid 3. Paronyma.

XLII. Ho-

XLII. Homonyma sive Æquivoca sunt, quorum nomen solum commune est, ratio verò substantiæ nomini accommodata diversa. Nos hunc terminum, ut rectius intelligatur, in singulari ita definimus: Æquivocum est terminus ambiguus, qui pluribus tribuitur in diversa significatione: ut *canis* est terminus æquivocus, si intelligatur de cane domestico, & caelesti.

XLIII. Divid: *Æquivoca* sunt vel *pure talia*, quæ res plures diversissimas æquè primò significant sine proportionem, ut *jus*, significat offam & jus forense. Vocantur alias æquivoca casu facta, quod nulla possit dari ratio cur hujusmodi terminus æquivocus purè tales res diversas notet. Sic nulla potest dari ratio, cur *vox Galli*, significet & hominem gallum, & gallum gallinaceum. *Analogæ Proportionis* verò dicuntur quæ propter aliquam similitudinem pluribus tribuuntur, alteri primariò, alteri secundariò. Dicuntur alias Æquivoca consilio facta, quia potest dari aliqua ratio vel similitudo, ob quam terminus hujusmodi æquivocus plura significet. Sic homo dicitur de vero & picto homine, de *picto dicitur*, quia representat effigie suâ verum & vivum hominem.

XLIV. Axiomata de Æquivocis observatu digna hæc sunt. 1. Homonymia multorum errorum causa est: uti habet versiculus. Errorum genitrix est æquivocatio semper. 2. Ab æquivocis ubiq; sedulo est cavendum. 3. Homonyma neq; definiuntur, neq; dividuntur, neq; ullum in scientijs locum habent. 4. Super æquivocis non stat contradictio: 5. Voces & termini ambigui limitantur secundum conditionem artis & materiæ in qua tractantur. 6. Homonymia sæpè vocis alicujus adjectione perit. 7. Analogum per se positum stat pro significatu famosiore.

XLV. Synonyma dicuntur, quorum & nomen est commune, & definitio juxta illud nomen planè eadem est. Sic homo & bos sunt Synonyma in animali, quia & nomen animalis & ejus quoq; definitionem habent.

XLVI. Vulgò vocantur Univoca, verum terminus Univocus & Synonymicus distinguuntur ut terminus latior & strictior; Omnis enim terminus Univocus est Synonymicus, sed non contrà. Ratio, quia terminus analogicus & quidem attributionis, est Synonymicus, sed non univocus.

XLVII. Divid: Sunt autem Synonyma vel Univoca vel Analoga. Synonymum Univocum est, quod pluribus *ἰσότητως*, æqualiter, seu æquè primò tribuitur. Synonymum Analogum dicitur, quod inæqualiter tribuitur pluribus in quid, ita ut uni *πρῶτως*, alteri *δεύτερως* conveniat.

XLVIII. Sy-

XLVIII. *Synonyma sunt vel transcendentalia*, quæ in rebus Meta-physicis habentur, ut *causa est principium*. Vel *Mystica* vel *Divina* & inusitata, ut *Pater est Deus*, *Deus est Spiritus*. Vel *Prædicamentalia* quæ locum habent in Prædicamentis, atq; huc pertinent tria illa prædicabilia, Genus, Species, & Differentia Specifica.

XLIX. Axiomata de Synonymis notanda sunt hæc. I. Quicquid est Synonymum prædicatur in Quid II. Synonyma totam suam naturam tribuunt subjecto, & inde quoq; omnia sua prædicata essentialia eidem communicant. III. Synonyma transcendentalia vel in vi eminenti dicta non sunt æstimanda è conditione Synonymorum prædicamentaliū.

L. Paronyma dicuntur, quæ derivata sunt ab alio (abstracto) per quod denominant subjectum suum, ut doctus *derivatur à doctrina*, quæ *denominat* subjectum, hominem doctum. Paronyma vocantur alias denominatiua & Concreta Logica.


LI. In Paronymis tria sunt notanda. 1. *Forma rei*, quæ est abstractum, per quod denominat aliud, ut *albedo*. 2. *Denominatum* quod est subjectum, sive res ipsa quæ denominatur, ut *paries*. 3. *Denominativum* quod est concretum, adeoq; & subjectum & formam denominantem includit, ut *albus*.

LII. Divid. Sunt vel Transcendentalia, quæ locum habent in transcendentalibus, ut *Ens est unum, verum*. Vel *Mystica* & *inusitata* quæ locum habent in divinis ut *Deus est passus*, vel *Prædicamentalia* quæ in Prædicamentis collocantur. ut sunt, Accidens commune, & proprium.

LIII. Hinc in consideratione Synonymorum & Paronymorum oriuntur prædicationes Synonymicæ & Paronymicæ. Prædicatio Synonymica est, in qua Prædicatum est Synonymum: ut *Petrus est homo*. Prædicatio Paronymica est, in qua Prædicatū est Paronymū, ut *paries est albus*.

LIV. Axiomata de Paronymis, notanda hæc sunt. I. Omne Paronymum prædicatur in quale & in concreto. II. Omnia accidentia Paronymos prædicantur de substantijs. III. Quæ sunt *επιεργασν̄*, non prædicantur de se invicem nisi Paronymos. IV. Denominativa sunt in eodem Prædicamento cum denominante. V. Quicquid affirmatè Prædicari potest, vel Synonymum erit vel Paronymum. Hinc Synonyma & Paronyma dicuntur ostendere modum prædicandi affirmativum. Ita nunc claudo hanc disputationem determinis & Antepædicamentis.

FINIS.



XL. *Demonstratio quæ fit à causa remota* e-
clusionem negativam, nunquam affirmativam
remotâ, non necessariò ponitur effectus, subla-
motâ, tollitur effectus. Unde syllogismi dem-
remotâ sunt in *secunda figura* in modo *Camest*
quid respirat, habet animam sensitivam, Lapis
sensitivam. E. lapis non respirat. In hac demo-
sensitiva est causa remota respirationis, non pro-
fitâ animâ sensitivâ, non ponitur respiratio, pro
sensitivam habent, non tamen respirant. Proxi-
ma respirationis. Exinde perspicuum est,
sa, e. g. animâ sensitivâ non posse procedere ad
ctum, respirationem. Negative tamen optin-
quentia, Sublatâ enim causâ remotâ, effectus
monstratio à causa remotâ habet aliquam conve-
monstracione absolute ita dicta, quia utraq; e-
ficit ab ea 1. quia non est causa proxima, per
a. quia propositiones non sunt immediatæ. De
effectu longè est perfectior illâ, quæ est à causa
demonstracione ab effectu propositiones imm-
non contingit in demonstracione à causa rem-
quata causa est, neque propositiones immediatæ.

XL. Sed dicat fortassis aliquis hanc divisi-
tionis non esse immediatam, sed dari alia gen-
erum idq; probet objiciendo. 1. Averrois opinio
genera demonstracionum, aliam *τὴν ὄν*, aliam
anq; quâ demonstratur *τὸ ὄν* & *διόν* simul. In
com. 95. & in epis. cap. de demonstracione & lib. 2
alibi Resp. Objicienti hoc dubium, non esse
stracionem aliam *propter quid tantum*, aliam
simul. Nam omnis demonstratio *διόν* involvit
2. Objiciunt & alij hoc modo: Si datur de
ad effectum, & vicissim ab effectu ad causam,
monstratio ab effectu ad effectum alium nec
Ratio, quia propter necessariam effectuum con-

C

